C Stranguriæ & difficultati urinæ auxiliatur. Capiti admota calefacit, eiusq; humiditates exiccat. Hinc est quod recentiores tantisper eius usum in frigidis cerebri & neruorum morbis, apoplexia, paralysi, & similibus cõmendent.

Sequentia duo capita, quoniam absoluto fermè opere ad nos uenerunt, & idcirco suo loco reponi non potuere, tamen ne lector ijs fraudaretur, in calcem potius reijcere, quàm omnino præterire, collibuit.

DE DIGITALI▸ CAP▸ CCCXLII▸

NOMINA.

Digitalis.

VOd appellatione tum græca tum latina herba hæc hodie destituta sit, nulla alia de causa factum existimamus, quàm quod ueteribus incognita fuerit. Nos pulchritudine eius illecti, ἀώνυμον esse diutius non sumus passi. Appellauimus autem Digitalem, alludentes ad germanicam nomenclaturam Fingerhůt/sic enim Germani hanc stirpem nominant, à florum similitudine, quæ digitale pulchrè referunt ac exprimunt. Hac appellatione utemur, donec nos uel alij meliorem inuenerint.

GENERA.

Digitalis purpurea. Digitalis lutea.

Duûm est generũ. Vna enim purpureos obtinet flores, ideoq; Digitalem purpuream appellauimus. Germanis braunner Fingerhůt dicitur. Altera luteos habet flores, ob id Digitalis lutea dicta nobis est. Germanis geeler Fingerhůt nominatur. In alijs per omnia similes sunt.

D

FORMA.

Herba est cubitalis, foliis latis & oblongis, Plantagini non dissimilibus, in extremitatibus serratis, floribus à lateribus caulis ordine dependentib. digitalis formam referentibus, purpureis aut luteis. Quibus decidentibus, semen in calycibus latum & oblongum profert. Radix illi est exigua & capillata.

LOCVS.

Nascitur in montibus, umbrosis & saxosis locis.

TEMPVS.

Floret Iulio potissimũ mense, atq; subinde cadentibus floribus semen producit.

TEMPERAMENTVM.

Impense amara est herba, perinde atq; Gentiana, ut hoc nomine calidã & siccam esse euidentissimum sit.

VIRES.

Hæc herba hauddubiè quum opus est extenuatione, absterſione, purgatione, & obstructionis liberatione, efficax admodũ esse solet. Nam, ut testatur Galenus libro iiij. de simp. med. facul. cap. xvij. amari sapores abstergunt, expurgant, & quæ in uenis est crassitiem incîdunt. Quamobrẽ menses etiam quæ amara sunt mouere possunt, & ex thorace & pulmone pus educere. Quid multa? potest hæc herba ferè omnia quæ Gentiana, cuius uires suo in loco inuenient studiosi.

DE OCIMA-

DIGITALIS
PVRPVREA